

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica II. post epiphantias

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Dominica II. Post Epiphantias.

Evangelium, Joh. 2. v. 1. - 1.

EXORDIUM.

Cum magnus ill. Dei amicus Moses, terram Canaan propius accessisset, ablegavit duodecim exploratores, ut considerarent terram, & de ejus qualitate & situ nuncium referrent. Hoc munere fideliter illi perfuncti, quo majus populi ad terram occupandam desiderium excitarent, ad torrentem Eschol palmitem absciderunt cum uva sua, quam portaverunt in veste duo viri, Num. 13. v. 3. 24.

Hæc historia typus fuit presentis Evangelii.

Moses & Christus sibi invicem opponuntur: ille veteris, hic vero N. T. mediator est. Quia lex per Moysen data, gratia & veritas per Jesum Christum facta est, Joh. 1. v. 17.

Sicut igitur tum temporis Moses exploratores suos emisit, qui palmitem cum uva abscissum attulerunt, ut Israelitæ ex uva cognoscerent, quam nobilis & fertilis terra esset, in qua ejusmodi fructus crescerent: ita Christus, Servator noster, eo tempore, quo ministerium inchoaturus & omnibus persuasurus erat, quod appropinquaverit regnum celorum, Marc. 1. v. 15. non quidem exploratores ablegavit: sed seipsum variis miraculis manifestavit, quorum primum non sine ratione fuit, quod in nuptiis Canæ Galileæ aquam in vinum generosissimum mutavit: hoc ipso generosos hoscebotros, virtute sua divina decerpfit, nec modo in honorem sacriconjugii publice in nuptiis

Canæ Galileæ, præsentibus convivis per architectriclinum præsentari jussit: sed & Neonymphis ostendit, statum hunc, quem per Dei gratiam elegerint, sanctum, Deoque gratum esse, qui merito in omnibus honorabilis esse, Heb. 13. v. 4. & in Domino incipi debeat, 1. Cor. 7. v. 39.

Imprimis hoc ipso gloriam suam quodammodo revelare, & beneficia regni sui præfigurare voluit: quomodo jam in limine sit, pretiosum illud convivium apparaturus, de quo Esaias prædixit, quod Dominus exercituum, tempore N. T. omnibus populis facturus sit, convivium pinguium, convivium vini defecati, convivium pinguium medullatorum, Esa. 25. v. 6.

Quod nihil aliud est, quam concio Evangelii, de gratioso peccatorum remissione, de justitia, quæ coram Deo valet, & vita æterna, Luc. 24. v. 47.

Sicut itaque vinum lætificat cor hominis, Psalm. 104. v. 15. & vulnera, si eo eluantur, sanat, Luc. 10. v. 34. sic Evangelium lætum nuncium est, quod non modo animas convertit, Psalm. 19 v. 8. sed medetur quoque cordis & conscientie nostræ vulneribus, ne desperemus in peccatis: sed certi de eo esse possimus, quod Paulus dicit: Ubi exuperat delictum, ibi exuperat gratia, Rom. 5. v. 21.

Nos absque ulteriori præloquio ad ipsam Evangelii meditationem nos conferemus, ex eodem tractaturi:

I. Ἀπολογία, sive notitiā nostri.

II. Χριστολογία, sive notitiā Christi.

J. J.

Exegesis.

Sicut post Solem non majus lumen in firmamento est, quam luna: sic etiam post religionem veram & beatificam, non præstantior in Ecclesia ordinatio est, quam sacrum conjugium. Sine quo non modo orbis terrarum incultus & Ecclesia solitaria: sed & cælestis hereditas, quam filius Dei pretiose acquisivit & reposuit nobis, nimis remota maneret. Propterea Christus ante octiduum in templum sese præsentavit, tanquam summus novi Testamenti Pontifex, quem necessario esse oporteat, in iis, quæ Patris sui sunt. Jam ut hospes invitatus accedat nuptias in Cana Galileæ, manumque largissimam, & nunquam terminandam ita aperit, ut divino & celebratissimo miraculo creaturam mutet, & è naturali aqua vinum COS eliciat.

Notitiā nostri hinc studemus, quando intuemur:

I. *Nuptialem festivitatem.* Die enim tertia nuptiæ factæ sunt, in Cana Galileæ: & erat mater Jesu ibi. Vocatus autem est Jesus, & discipuli ejus ad nuptias. Quæ hæ nuptiæ fuerint, non exprimitur. Beda & Rupertus, sponsum Johannem Evangelistam fuisse autumant, Christumque ideo accessisse nuptias, ut impediret eas, quo Johannem ad Apostolatam adhibere posset. At vanum hoc est: nullum enim Christus hic objecit obstaculum: sed potius nuptias promovit, & præclaro miraculo adprobavit. Nicephorus, Simonem Apostolum sponsum esse vult, quia Cananæus vocatur, Matth. 10. v. 4. Alii alias specu-

lationes habent, re in hunc usque diem incerta. Id ex textu colligi potest, quia mater Domini nuptiis interfuit, & quasi prima conda existit, Neo-nymphos ipsi sanguine junctos vel familiares fuisse.

Certissimum est, neogamos honestos & pios homines fuisse, quia ita decenter conjugium hoc inchoarunt, Christus quoque cum Apostolis in hisce nuptiis comparuit:

Hic probent se Neo-nymphi, utrum & ipsi, expectatis nuptiis virginitatem integram & illibaram servaverint? Sæpius enim accidi, tunc nonnulli, sponsalibus celebratis, carnali copula commisceantur, non expectato definito nuptiarum die: quo ipso haud leve peccatum illi incurrunt. Etsi enim jam tum matrimonium est coram Deo, quando sponsus & sponsa, cum parentum consensu, aut eorum, qui loco parentum sunt, dextras junxerunt, nuptiæ autem & publica copulatio, Ceremonia tantum Ecclesiastica sit: at tamen jam tum in Veteri Testamento, inter sponsalia & nuptias discrimen observatum esse, constat. Exempla vide sis, Gen. 19. v. 14. Gen. 29. v. 20. Jud. 14. v. 4. 1. Sam. 18 v. 21. 28. Matth. 1. v. 18.

Eo quoque lex spectat, qua illi, qui uxorem sibi recenter despondit, immunitas belli conceditur, ne forte in acie moriatur, & alius accipiat eam. Deut. 20. v. 7.

Hæc ordinatio in Ecclesiam, Novi Testamenti quoque introducta, & in hunc usque diem sacra tertia servata est. Unde Augustinus: *Institutum est, ut jam pacta sponsa non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus dilatare.* Propterea quoque tribus vicibus publice illi proclamantur, ut si quis causam justam interpellandi habeat, ea uti possit:

I

possit:

possit: ex quo sponte consequitur, quod interea castitatem illibatam servare debeant, secus enim proclamatio frustra fieret. Imo oia de causa fertis redimiri ad templum pergunt novi nupti, ut ostendant, se usque ad id tempus victores fuisse cupiditatum, ut Chrysostomus loquitur. In Ecclesia enim omnia *εὐχρηστώσως ἔργα* fieri debent, 1. Cor. 14. v. 40. Et qui matrimonium contrahit, faciat, id in Domino. 1. Cor. 7. v. 39. Tob. 6. v. 16.

Cum precibus proinde & in timore Domini connubia inchoanda sunt, Ps. 128. v. 1. 5.

Dimidium facti, qui bene cepit, habet.

II. *Mariae Curiositatem.* Simulac enim illa vinum defecturum animadvertit, in tempore inopiae huic consultum vult, ut ne Neogami labe sinistrae alicujus fama conspergantur. Filio igitur suo rem exponit, de quo haecenus mirabilia multa viderat: quod, ut B. Lutherus conjicit, matris suae aquam petitorus, non semel vinum attrulerit. Hinc optima spe laetatur, cum vini quoque deficientiae consulturum esse. Neque in hac parte peccat, in arumnis enim proxima via ad Christum sit oportet, qui est magister salvationum, Esa. 63. v. 2. sciens suos et tentatione liberare, 2. Pet. 2. v. 9. At in hoc delinquit quod Christo tempus & modum in iuvando praescribere vult, unde etiam Christi reprehensionem non sine causa incurrit. Deus enim noster agens liberrimum est, Psal. 135. v. 6. nec sibi praescribi vult:

Scit ipse tempus optimum,
Expurgavit Nobisque nullum dat malum,
fraudum Spes haec reposita nobis.
Hoc ipsi confidamus.

Er weiß wohl wanns am besten ist /
 Er braucht an uns kein Argelst /
 Des sollen wir ihm trauen.

Mirabile facit consilium, & magnificavit sapientiam, Esa. 28. v. ult.

Hic examines velim te, mi Christiane! an non & tu in hoc nonnunquam deliqueris, ut in calamitatibus constitutus, modum & tempus liberationis Christo praescriberis?

Hoc adeo rarum & infrequens non est. David, vir ad cor Domini id fecit, ante eum multi sanctorum fecerunt, & adhuc faciunt, quin & post eum porro facient. Non enim cogitationes Dei, cogitationes nostrae Esa. 55. v. 8.

Quando igitur auxilium suum differt, sanctas & socraticas suas causas habet, & primo quidem, ut nos probet, & ad rogandum provocet, ut Hieronymus scripsit, Esa. 29. v. 17. Deinde ut fidem perentium in abscondito prius revelet, & tum demum nos curet, juxta Chrysostomum. Tob. 12. v. 7. Tertio, ut ejus non nostra voluntas fiat. Rogamus enim, Domine: fiat voluntas tua. Matt. 6. v. 10. Ideoque in spe & patientia expectare debemus. Bonum enim est praesolari cum silentio salutare Dei. Thren. 3. v. 26.

Quando Magnatibus terrenis supplicamus, auxilium eorumdem patienter expectandum est: multo magis auxilium Dei: qui quidem elemens & misericors respicit orationem humilium, Psal. 102. v. 18. & certum est cor eorum, quod auris ejus adierit, Psal. 10. v. 17. Interim tamen causas gravissimas habet, cur ad placitum nostrum non illico succurrat. Ne igitur praescribamus ei, nec impatienter feramus dilationem:

nem: sed in patientia dicamus: expecta Dominum, Psal. 28. v. ult.

III. *Hydriarum pluritatem.* Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.

Quales hæc hydriæ fuerint, hinc colligendum, quod Christus dicit: haurite & ferte arcestriclinio. Non igitur iis hauriri potuit, quali hydria mulier Samaritana usa est ad fontem Jacobi, Joh. 4. v. 28. sed adeo capaces fuerunt, ut ex iis alio vasculo hauriendum fuerit: singulæ enim capiebant metretas binas vel ternas, hoc est, amphoram vini, ut Lutherus in margine explicat. Has hydrias Christus primo aqua repleri jubet, qua in scripturis tribulationes & ærumnæ indignantur, Psalmo 69. v. 2. Deinde virtute sua divina transmutat in vinum generosissimum, ut judicet, quod gloriam præcedat humilitas, Prov. 15. v. 33. seque ex multis aquis nos extrahere posse, Psal. 18. v. 17. & educere in refrigerium, Psal. 66. v. 12.

Si respicis œconomiam tuam, utique & tu has sex hydrias lapideas ordine suo dispositas, invenies. Sicut enim hebdomas sex dies habet, in quibus laboratur, Ex. 20. v. 9. sic sufficit diei malitia sua, Matth. 6. v. ult. Usque dum æternum illud sabbatum adveniet, quo calamitatibus liberati, habitamus in domibus pacis, Esa. 32. v. 19. Sabbathum ex sabbatho celebrantes, Esa. 66. v. 22.

Interea in conjugio inventibus familiaris est:

I. *Hydria paupertatis.* Ubi enim thalamus, ibi calamus, *Ehestand / Wehesstand.* Jam vinum non habent, jam pa-

nem non habent, jam pecuniam non habent. Hæc hydria miserabilis est, pauper enim ubique jacet, Prov. 19. v. 4.

2. *Hydria firmitatis.* Neo-nymphi in Cana nuptias quidem cum valetudine commoda celebrarunt: vix tamen in fortuna hac diu perstiterunt, morbi enim ubique locorum nos insequuntur, & modo maritum, modo uxorem, modo liberos invadunt, Sir. 40. v. 1. Exempla sunt, Hiob c. 2. v. 7. mulier hæmorrhousa, Matth. 9. v. 20. David, 2. Sam. 12. & seqq. Immittit hanc crucem Deus piis conjugibus, ut in mutuo adiutorio fidelem sibi invicem operam præstituri sunt, experiatur. Sir. 41. v. 23.

3. *Hydria rixositas.* Hac in parte vel sancti quandoque aliquid humani patiuntur, ut videmus in Sara, Gen. 16. v. 5. multo magis ibi vigere rixas, necesse est, ubi Esmodi fores panduntur per neglectum precum, & ejusdem obsequium. Ibi non mirum, omnia evanescere in œconomia, Jac. 3. v. 16.

4. *Hydria infidelitatis.* Quando enim Deus cum cruce & calamitatibus ingruit, sæpe fit, ut sanus conjux agroti nausea capiatur, ei miseriam suam exprobrans, ut Hanna Tobie c. 2. v. 23. aut solvat votum ad altare promissum, ut David, 2. Sam. 11. v. 4. aut alliciat juvenes, ut meretrix illa, Prov. 7. v. 10. Ubi hæc hydria est, ibi vinum gratiæ exsiccat. Job. 31. v. 11.

5. *Hydria sterilitatis.* Præcipuus matrimonii scopus est procreatio sobolis, Tob. 8. v. 19. Atqui sæpe evenit, ut Deus aliquamdiu benedictionem hanc differat, ut Abrahamo factum Gen. 15. v. 1. 2. Rachel, Gen. 20. v. 2. Multi adhuc hodie de hydria hac con-

queruntur, thesaurizant enim, & ignorant, cui congregabuntur ea, Psal. 39. v. 7. Cum morte vero nomen & genus exstinguitur, cum è contrario parens, qui liberos obsequentes habet, in iis adhuc vivat. Sir. 30. v. 4.

6. *Hydria viduitatis.* Mors enim, quæ est ultima linea rerum, tandem conjuges divellit: modo viro præcedente & relinquente tristem Naemi, Ruth 1. v. 3. modo uxore præeunte, quam maritus oculis mædentibus ad tumulum prosequitur, ut Jacob Rachel Gen. 35. v. 9. modo liberis per obitum discedentibus, Tob. 10. v. 4. Has hydrias Christus replet usque ad summum.

Sed ut idem verbo suo, optimum vinum procuravit: sic mutatio dexteræ Excelsi, Psal. 77. v. 11. Et si conjuges ipsi confident, hydrias has, sale sanctissimi meriti sui temperaturus est, ad exemplum Elisæi, 2. Reg. 2. v. 21. & ipsis tanquam Deum diligentibus omnia in bonum operabuntur, Rom. 8. v. 28.

De Secundo.

Nunc ad alteram partem, progrediemur, *ἡ ἐπισημείωσις*, sive notitiam Domini nostri Iesu Christi meditatiuri. Is nobis in hoc Evangelio considerandus commendatur:

I. *Tanquam conjugii amator:* non enim saltem in nuptiis his, ut conviva apparet: sed manifestat quoque gloriam suam, dum inopiæ vini consulit, aquam in vinum mutando, quod nunquam fecisset, si status hic ei displicuisset.

Accedit, quod de virgine nasci voluerit, non quæ monialium instar virginitatem perpetuam vovit: sed viro desponsata fuit, a nomine Joseph, Matth. 1. v. 18.

Conjuges elegit in Apostolos, siquidem Petrus socrum habuit, Matth. 8. v. 14.

Conjuges docuit & cibavit, quinque virorum millia, exceptis mulieribus & parvulis, Matth. 14. v. 21.

Conjuges sanitati restituit, eorumque liberos adjuvit, ut socrum Petri, Matth. 8. v. 14. Viduam in Nain, Luc. 7. v. 15. filiam Jairi Matt. 9. v. 25. Regulum, Joh. 4. v. 50. Mulierem Cananæam, Matth. 15. v. 8. aliosque.

Conjuges ipsi servierunt in passione & morte, ut Simon Cyrenæus, qui crucem ejus tulit, Matth. 27. v. 32. Joseph ab Arimathea, qui corpus ejus de cruce sustulit & sepelivit, Joh. 19. v. 38.

Conjugibus à resurrectione sua apparuit, ut Mariæ uxori Cleopæ, & marito ejusdem. Merum quoque quo Pater cælestis conjugium muniverat, reparavit, quando adversus adulteria & scortationes præclare docuit, Matth. 5. v. 25. quin & libellum repudiî dirupit, qui tum valde usitatus inter Judæos fuit Matth. 19. v. 4.

Regnum item cælorum cum nuptiis comparat, Matth. 22. v. 2. summumque amoris sui in nos mysterium, sub amore sponsi delineat, Os. 2. v. 19. 20. Unde Paulus hoc exemplum omnibus conjugibus commendat, Eph. 5. v. 25.

Hoc solatio plenum est. Diabolus conjugium acerbissimo odio prosequitur, semperque excitavit, qui conjugium infamiz labe notatum iverint: sicut adhuc hodie Anti-Christus facit, 1. Tim. 4. v. 13. Sed S. S. Trinitas ab initio mundi huic statui patrociniûm præstitit, quod facere quoque perget, usque ad diem novissimum. Pii itaque Christiani, calumniis Satanz illusis, si ad conjugium vocentur, animosecum Deo pergant. Sic

Deus

Deus Pater eos alet, ut Protoplastos nostros, & animâ & corpore, quibus, posterisq; eorum totum orbem cibarium constituit, Gen. 1. v. 28.

Filius Dei eis succurret, inopiâ consulturus, ut viduâ Sareptanâ, 1. Reg. 17. v. 14. *Spiritus sanctus* eorum corda in amore copulabit, ut, sicut una caro: & cor unum & anima una sint, Act. 4. v. 32. Est enim spiritus dilectionis, 2. Tim. 1. v. 7. deducet ipsos in omnem veritatem, Joh. 16. v. 13. ut in agnitione Dei proficiant, Col. 1. v. 11. & liberos suos instituant, Gen. 18. v. 19. imò instaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1. Pet. 5. v. 11. ut bonam militent militiam, 1. Tim. 1. v. 18. & finem fidei salutem animarum reportent, 1. Petr. 1. v. 9.

II. *Tanquam vini procurator.* Hic ministris mandat, ut impleant hydrias aquâ. Deinde jubet ipsos haurire: dum illi hauriunt, illo ipso momento aquam divinâ suâ virtute in vinum generosissimum convertit, hinc Architrinclinus ad sponsum ait: Omnis homo, primum bonum vinum ponit &c.

Hoc miraculum dupliciter considerari debet:

1. *Literaliter.* Sicut enim hic Christus ex naturali aquâ, licet supernaturali modo, vinum optimum produxit: sic idem adhuc hodiè per naturam facit.

Vitis est lignum vile & abjectum: nec paxillus ex eo fabricari potest, Ezech. 15. 2. tamen per benedictionem Dei succum ad eò generosum profert, ut Deum & homines latificet, Jud. 9. v. 13. Vide Ps. 104. 14. 15. Id Christo quoq; acceptum ferendum est, qui cum patre suo operatur, Joh. 5. v. 17. Propterea non abutamur hoc insigni dono Dei, ut bibamus ad mensuras sine mensura, ut Augustinus loquitur, ex quo plurima

incommoda sequuntur. Vide Esa. 28. 8. Of. 4. v. 11. Sir. 31. v. 39. Prov. 23. v. 27. 31.

Consulamur potius eodem indigentia nostrâ bibentes ad lætitiâ, non ut corda gravemus, Luc. 21. v. 34. Sir. 31. v. 33. Hinc Deus ad Jojakim: Pater tuus, nunquid non comedit & bibit, Jer. 22. v. 15. Idem nobis quoque concessum, Eccles. 5. v. 18. 19.

2. *Spiritualiter.* Sicut enim in nuptiis Canâ Galileâ vinum defecit: sic quoque tum temporis nullum solatium in mundo fuit. Pharisei enim & Scribâ, vinum Evangelicâ consolationis aquâ miscuerant, Esa. 1. v. 22. & fel Draconum atque venenum insanabile adsperserant, Deut. 32. v. 33. Hic neque Maria, neque alii sancti opem ferre potuerunt, sed suspirarunt duntaxat: Defecit sanctus, Psal. 12. v. 2. Sed ecce! Christus solus est Dominus ille, qui aquam in vinum convertere potest: ideò reformationem non modò in templo instituit, Matth. 21. v. 12. sed & in diebus carnis, sicut & in his ultimis temporibus optimum vinum infudit, quod destinato consilio huc usque servavit, ut omnes gratiâ flagrantis animæ spiritualiter inebriari, & in prosperis & adversis, in copiâ & inopiâ, in vitâ & morte animosi & lætabundi dicere possint: In omnibus tribulationem patimur, 2. Cor. 4. v. 7. 10.

III. *Tanquam opportunus auxiliator.* Maria existimabat, Dominum opitulaturum, dum adhuc vasculum vino maderet, ne vini defectus innotesceret: sed hoc Domino integrum non erat, propterea ait ad matrem: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Postea verò opportunè subsidium tulit, ut non tantum Neonymphos, sed omnes convivas exhilaraverit.

Nobis hoc apprimè observandum est. Sæpe enim contingit, ut & nos simile responsum feramus, quando in ærumnis constituti, auxilium subito desideramus. Jesus enim noster omnia in numero, pondere & mensurâ creavit, Sap. 11. v. 22. Quod si igitur mensura non plena, pondus non integrum, & numerus non impletus est, quem definiuit, manet hoc responsum, quod Mariæ dedit: Hora mea nondum venit. Sed ideò animum non penitus abjiciamus: duriusculum quidem est responsum, at certum post se trahit solatium. Si hora tarda, tamen est:

1. *Hora certa.* Quemadmodum enim hora horæ succedit: Sic Christus cum horâ suâ tandem veniens veniet, & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Custodit enim veritatem in seculum, Psal. 146. v. 7. Sicuti igitur promissit: Invoca me, in die tribulationis, & eruum te, & honorificabis me, Psal. 50. v. 15. & iterum: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam, & glorificabo eum, Psal. 91. v. 15. Ita certò certius præstabit, quod promissit, nec fideles suos orphanos relinquet, Joh. 14. v. 18.

2. *Hora grata.* Verum enim est, quod Augustinus ait: *Desiderata diu, dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt.* Sic

Deus auxilium suum differt quidem, sed post eò potentius implet, ut homines annuncient opus Dei, & opera ejus prudenter considerent, Pl. 64, 10.

Quando itaq; tibi tempus nimis longum videtur, mi Christiane! & hora auxilii diu differtur, cogites velim, neque te semper ad pœnitentiam surrexissè, quando à Deo invitatus es: sic non mirabere, si neq; Deus tibi præsto fuit levaminè suo, quando & quomodo illud implorasti. Interea bono esto animo! *etsi differt, non aufert, modo sit, qui suffert.* Patientia proinde opus, imò necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportemus promissionem, Hebr. 10. v. 36. Etiam si enim affligit, miserebitur tamen secundum multitudinem miserationum suarum, Thren. 3. v. 32. Jam dicitur: vinum non habent. Sed breve post intervallum, nuptiæ agni celebrabuntur, Apoc. 19. v. 7. Ubi Jesus noster mensâ cœlesti nos honorabit, ubi nos torrente voluptatis potabit, Pl. 36. v. 9. ut comedentes saturemur, bibamus, & lætemur in secula, Esa. 65. v. 13, 14.

Hoc nobis omnibus largiri dignetur Pater cœlestis, per filium suum Jesum Christum, Redemptorem nostrum, in Spiritu sancto, Amen.

Dominica III. post Festum Epiphantias.

Evangelium Matth 8. v. 1. -- 13.

EXORDIUM.

CUM Moses de monte Sinai descendere, ubi per quadraginta dies & noctes sine cibo & potu perseveraverat, utraq; legis tabulâ acceptâ: Israëlita interea in errorem prolapsi, aurum vitulum fece-

runt: Cujus intuitu Moses tantopere indignatus fuit, ut non modo tabulas de manu projecerit, & confregerit eas ad radicem montis: Sed Levitæ quoq; armatâ manu gladiis accincti per medium castrorum ire, & occi-